

sci possent. Unde appellatur Jus Civile Flavianum, quamvis Flavius de suo nihil adjecerit.

14. Etsi autem hoc modo non subtilitas sed saltem incertitudo formularum fuerit sublata, mox tamen ipsa incertitudo rursus introducta, imo aucta fuit, cum hoc factum Flavianum Jure-Consulti graviter ferentes novas quasdam agendi formulas excogitaverint, easque certis quibusdam notis vulgo incognitis descripserint, donec Sextus Ælius & has peculiari libro, qui jus Ælianum appellatur, publicaret.

15. Porro evenit inter istas dissensiones Patrum & Plebis, ut & plebs quandoque potestatis Legislatoriæ partem ad se traheret, potissimum per secessiones, quarum prima in montem sacrum plebs obtinuit Tribunos plebis, qui potestatem habebant, ut, quod ad plebem tulissent, quodque plebs jusfisset, id ratum esset, quæ Plebiscita vocata sunt.

16. Secunda secessione in montem Aventinum cum velut in controverso jure esset, tenerentur ne Patres Plebiscitis, Plebs obtinuit lege lata, ut, quod tribu-